





DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
INDOLE  
BONORUM POSSESSIONIS CONTRA TABB.  
JUXTA DOCTRINAM JURIS ROMANI.

QUAM  
CONSENTIENTE ILLUSTRI JICTORUM ORDINE

PRÆS IDE  
VIRO ILLUSTRI ET CONSULTISSIMO  
DOMINO

CHRISTIANO GMELIN

PHIL. ET U. J. D. AC PROF. PUBL. ORDIN.  
SERENISS. DUCIS CONSIL. NEC NON SER. MARGGRAV.  
BRANDENB. AB AULÆ CONS.

PRO GRADU DOCTORIS RITE OBTINENDO  
EXAMINI PUBLICO SUBJICIT

AUCTOR

JOHANNES GEORGIUS CUSIN  
HELVETO - ALBONENSIS.

TUBINGÆ  
DIE MART. MDCCCLXXXVI.

TYPIS FUESIANIS.



ILLUSTRISSIMO ATQUE PRÆNOBILISSIMO

CAMERÆ APPELLATIONUM

PAGI VELDENSIS

IN INCLYTA ET POTENTI REPUBLICA BERNENSI

PRÆSIDI

UT ET

TOTIUS SENATORII ORDINIS

PATRIBUS CONSCRIPTIS

VIRIS

PERILLUSTRIBUS, GENEROSISSIMIS, MAGNIFICIS,

PRÆNOBILISSIMIS, MAXIME STRENUIS,

AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIONIS, SPECTATISSIMIS

DN. DN. DN.

A

HAS STUDIORUM ACADEMICORUM PRIMITIAS

SUBMISSA MENTE, OBSERVANTI ANIMO

DAT, DICAT ET CONSECRAT

TANTORUM NOMINUM

PATRIBUS CONSCRIPTIS

ANTRIBUS

PERITISSIMIS GENITISSIMIS MAGNIFICIS

BRUNOBURSISSIMIS MAXIME STRANGIS

ALPITERIIS TROPHIIS SCUTATISSIMIS

CULTOR PERPETUUS ET OBSERVANTISSIMUS

AUCTOR.

---

## PRO O E M I U M .

---

Doctrina de bonorum possessione contra tabulas, maximis  
licet difficultatibus involuta, practica tamen utilitate admo-  
dum se commendat. Ipsa autem argumenti gravitas atque  
subtilis philosophandi ratio, quam J Cti Romani, editum per-  
petuum illustrantes, ad insigne illud Prætoris institutum ad-  
hibuerunt, me, eruditionis apparatu necessario nondum instru-  
ctum, atque vix Themidis sacra salutantem a studio scribendi  
detergere profecto debuissent, nisi me, legibus academicis ob-  
temperantem, in eo veniam meritum esse confidere possem,  
quod, non tam novis inventionibus inclarescere cupiam, quam  
ad id potius annitar, ut veritatum jamjam cognitarum facili-  
atque distincta expositione Praceptoribus meis venerandis ta-  
lem me monstram, qui non prorsus indignus honoribus docto-  
ralibus appetendis appareat.

Quod si deficiant vires, audacia certè

Laus erit; in magnis & voluisse sat est.

(PROPERT. l. 2. ad Musam.)



### § 1.

#### *Succesio civilis aut Præatoria.*

Omnibus notum erit, successionem aliam esse ex Jure civili, aliam ex Jure Prætorio, præeunte Imperatore in § ult. Inst. per quas pers. cuique acquir.

### § 2.

#### *Civilis.*

Civilis est, quæ Lege, SCto vel Constitutionibus Principum desertur, atque hæreditas vocatur: hujusque duplex conditio est; nam vel ex testamento, vel ab intestato ad nos pertinet a).

a) § 6. Inst. per quas pers. cuique acq.

### § 3.

#### *Præatoria.*

Præatoria successio est, quæ auctore prætore desertur & bonorum possessionis nomine venit.

### § 4.

#### *Bonorum possessionis definitio.*

Jam Bonorum possesso, ut egregie ab Ulpiano describitur<sup>a)</sup>, est *jus persequendi retinendique patrimonii, sive rei, quæ cujusque, quam moritur, fuit.*

a) I. 3. § 2. ff. de bonorum possesso.

### § 5.

#### *Hujus evolutio.*

Quod autem hujus definitionis explicationem attinet, mo-



nendum primo esse putavi, vocem *bonorum* hic non sumi naturaliter pro eo, quod deducto ære alieno supereft a), sed civiliter, pro omnibus iis, quæ in hæreditate inveniuntur. Ita ut, sive solvendo sint bona, sive non sint: sive damnum habent, sive lucrum; sive in corporibus sint sive in actionibus; hoc loco proprie bona appellantur b).

a) I. 30, § 1, ff. de Verbor. sign.

b) I. 3, ff. de Bonor. possess.

### § 6.

#### *Continuatio.*

Nec *Possessio* hic accipitur, uti possessio illa rerum singulium, quæ facti est, & *rei detentio* a), de qua Tit. Dig. & Cod. de acquirenda vel amitt. poss., sed tota juris est, & denotat facultatem possidendi: ita ut hæc duo præter nomen nihil commune habeant b). Quamvis enim nihil ex hæreditate possideo, rectè tamen bonorum possessionis commodis gaudere possum.

a) GALVANUS de Usuf. C. 33, art. 2.

b) VINNIUS Comm. ad Infr. pr. de Bonor. poss.

### § 7.

#### *Continuatio.*

Addit postea JCtus esse *jus persequendi*, videlicet quando patrimonium vel pars ejus ab alio possidetur. Cavendum tamen ne hoc sumamus pro qualibet etiam civili persecutione; conveniret aliàs hæc definitio hæreditati, sed restringendum ad actiones prætorias, veluti possessoriam hæreditatis petitionem a).

a) MEIER C. A, de bonor. poss. § 4.



-su immi non oīd mīrīoīd n § 8. iāiāi aīlī dīmīg mīhītā  
is hīt , a fōrētīl oīlīl Continuatio.

Denique *retinendi* adjicitur; quo ipso & discrimen ab hæreditatis petitione apparet. quippe nullus hæres, qui jam in possessione bonorum defuncti est, agere potest hæreditatis petitione, quum jam possideat, quod petit; sed bonorum possessionem petens, et si nihil ei absit, contendere potest, ut ipsa possessio ipsi decernatur.

### § 9.

#### *Differentia Bonor. poss. ab Hæreditate.*

Differt bonorum possessio ab hæreditate, tum jure, quod illa in bonorum possessorem transfertur, tum formâ acquirendi.

### § 10.

#### A.) *Jure quod transfertur.*

Ex priori fundamento constat, Prætorem hæredem facere non potuisse, quum hæreditas lege tantum deferatur, quo etiam testamenta, lege decemvirali quippe confirmata a), referenda sunt. Prætor autem tanta potestate non prædictus, juris dicendi saltim causâ, tanquam arbiter & dispensator æQUITATIS, Romæ primitus constitutus fuerat, teste Cic. l. 3. de leg. Juris disceptator, inquit, qui privata judicet, judicareve debeat, Prætor esto, juris civilis custos. Quum igitur legislatoria potestate destitutus hæredem facere non posset, bonorum quoque possessores dominium directum rerum hæreditiarum non cancellabantur, quoniam rigor juris resistit, sed utile tantum, ex æquitate profiliens, jus dominio proximum, Dominium possessio-

= = =

nis magno Cujacio dictum, habebant. Sic ab Ulpiano bonorum possessor *fictitius* hæres & *loco hæreditis* vocatur *b*).

*a) L.* 130 ff. de V. S. „Lege obvenire hæreditatem non impro-  
„prie quis dixerit & eam, quæ ex testamento defertur: quia  
„Lege 12 tab. testamentarioræ hæreditates confirmantur.“

*b) l. 2 ff. de bon. poss. l. 117. de reg. juris.*

### § 11.

#### B.) Forma acquirendi.

Quoad formam acquirendi, bonorum possessio ab hæreditate differt; quod illa per tutorem nomine pupilli agnosci possit, imo per procuratorem & alium quemlibet, mandatum non habentem; quin & feminæ possunt pro alio petere bonorum possessionem, licet pro alio postulare nequeant *a*). Hæreditas vero per alium adiri non potest, id quod indoli actus legitimii aprime convenit *b*).

*a) l. 7 ff. de bonor. possess.*

*b) l. 77 ff. de Reg. Juris.*

### § 12.

#### Bonor. possessio ordinari. aut extraordinaria est.

His præmissis, nunc ad divisionem bonorum possessionis progredimur: quæ quidem auctore Paulo multiplex *a*); generatim tamen in duo potissimum capita dispescitur: distribuitur scilicet eadem ex modo bonorum possessionem deferendi, in ordinariam & extraordinariam *b*).

*a) l. 6. § 1 ff. de bonor. poss.*

*b) l. 3. § 16 ff. de Carbon, Edict.*



## § 13.

*Ordinaria ex testamento vel ab intestato.*

*Ordinaria* dicitur, quam ex verbis edicti prætor certo personarum ordini dedit exemplo successionis civilis. Ut autem civilis hæreditas, vel testamento facto vel ab intestato desertur *a*), & prior causa testati quam intestati appareat, ita quoque prætor eum ordinem fecutus, quem & lex 12 tabb. præfinit, prius de bonorum possessionibus, quæ extante testamento, deiude de iis, quæ ab intestato locum sibi vindicant, edixit *b*). Hinc orta est illa vulgata bonorum possessionis divisio in eam, quæ ex testamento, & eam, quæ ab intestato desertur.

*a) l. 34 ff. de acq. vel om. hæred.*

*b) l. 1. pr. ff. Si Tab. test. null.*

## § 14.

*Quae ex testamento desertur, est secund. aut contrâ tabulas.*

Ea autem bonorum possessio, quæ tabulis testamenti extantibus desertur, in duas rursus species abit. Aut enim sustinet prætor testamentum, quod jure civili invalidum esset, & bonorum possessionem dat scripto hæredi; quæ bonorum possessio vocatur secundum tabulas *a*). Aut is recedit à voluntate & judicio testatoris, non attentis testamenti tabulis, atque ad bonorum possessionem vocat eos, quos ipse vel editio vel decreto suo ad b. p. admiserat, licet in testamento neglecti essent *b*); & hæc dicitur bonorum possessio contra tabulas *c*).

*a) § 1.*

a) § 1. Inst. de bonor. poss. secund. tab.

b) I. 6. § 1 ff. § 1. Inst. de Bonor. poss.

c) Præsertim de hac loquendi formula egit Joseph. *Fernand. Retes. Analect. de Interd. & rel. Exerc. 4. § 41.*  
*& Adv. ad tit. ff. De bonor. poss. contra tab. Cap. I. § 9.*

### § 15.

#### *Bonorum poss. contra tabb. quid?*

Bonorum possesio contra tabulas, nihil aliud est quam successio juris honorarii, quam prætor liberis, patrono & patri emancipatori, præteritis, concederat.

### § 16.

#### *Eius historia.*

Quum enim patri familias liberrimam testandi potestatem Decemviri tribuissent, ita statuendo. „*Paterfamilias, ut legavit &c.*“ ea lege latissima potestas parentibus relicta erat, liberos testamento factō exhæredandi, pariter & prætereundi a). Sed quia parentes ea libertate abuti cœperant, *maligne*, ut ait Cajus b), circa sanguinem suum inferentes judicium, novercalibus delinimentis instigationibusve corrupti; Jurisprudentum primo interpretationibus effectum erat, ut pater filios suos masculos, naturales & adoptivos primi, posthumos cū juscumque gradus, aut hæredes instituere, aut nominatim exhæredare deberet c): filias vero suas & ulteriorum graduum liberos, sive naturales, sive adoptivos, inter cæteros saltem exhæredes scribere licebat: hoc notato, quod si posthumæ escent, necesse aliquid iis legari debebat, alioquin testamentum rumpebant d).

B



a) l. II ff. de liberis & posth.

b) l. 4 ff. de inof. test.

c) l. 3. pr. l. 13 ff. de justo, rupto & irrito. § I. Just. de Exhæred. liber.

d) Hoc eleganter exposuit VInN. in Com. in Just. § I. de Exhæred. lib. Vide præprimis de ea re LUC. VAN DE POLL in libro singulari de exhæredat. & præteritione c. 17. 21. 22.

### § 17.

#### *Continuatio.*

Sic quidem Jureconsulti suis hæredibus prospicerant a). Quod emancipatos attinet, eos, tanquam capitis deminutio-  
ne è familiâ expulsos, jure civili neque hæredes instituere, ne-  
que exhæredare necessum erat b). Postea autem Prætores,  
æquitate naturali moti, omnibus omnino liberis, nisi vel in-  
stituti, vel exhæredati essent, bonorum possessionem contra tabb.,  
vel edictalem, vel decretalem, pro re nata dederunt.

a) JAC. CUJAC. in Tractat. 4. ad Afric. ad l. 16 ff. de lib. &  
Posthum.

b) § 5. Inst. de Exhær. lib.

### § 18.

#### *Edictalis est, aut decretalis.*

Ita scilicet eam liberis concesserunt, ut, aut nuda agnitione voluntatisque declaratione coram Prætore, omni causæ cognitione posthabita, concederetur; quæ dicitur Edictalis a). Aut ut quandoque ea non aliter impertiretur, nisi, præcedente causæ cognitione pro tribunal, decreto Prætoris illa firma-  
retrur, quæ & Decretalis nomine venit.

a) AVERANIUS Interpr. Juris L. 4. C. 4. § 6.

❖ ❖ ❖

§ 19.  
*Differentia.*

Digna profecto est ipsa distributio bonorum possessionis in edictalem & decretalem, ut ulterius eam ad animum revocemus, atque potissimum varios diversosque, qui ex iis propullulant effectus, curatius describamus. Et primo quidem loco observandum est, Edictalem bonorum possessionem deferri edicto, neutiquam vero praetoris decreto: ex quo autem facile colligitur, eam statim in momento mortis defuncti ei delatam esse, qui ad illam praetoris edicto vocatus est, dummodo jure eam petendi praeditus sit a). Decretalis contra non prius desertur, nisi interposito decreto b). Propterea quoque illa coram quocumque magistratu, haec non nisi coram competenti agnosci potest c). Edictalis porro potest repudiari d); decretalis non potest. Neque enim ante interpositum decretum repudiationi locus esse potest, quia nondum delata est, (quod mihi delatum non est, frustra repudio); post decretum autem interpositum de illius repudiatione nulla profecto quæstio incidere potest, quia jamjam acquisita est e).

a) SAM. STRYK, de Success. Praet. requis. Diff. IX. Cap. II. §. 7, seq.

b) l. 3, § 8. de Bonor. poss. l. 2. § 1, ff. quis ordo in possess.

c) l. ult. C. Qui admit. ad bon. possess.

d) l. 4 ff. de Bonor. possess.

e) l. 1. § 7. ff. de Successorio Edicto.

§ 20.

*Continuatio.*

Præterea ad illam edictalem b. p. agnoscendam annus liberis præfixus est a); utilis quidem principio, sed continuus



progressu; quum ad hanc decretalem petendam annus utilis principio & progressu detur b), & dies tantum sessionum numerentur.

a) § 4. Inst. de Bonor. poss.

b) SAM, STRYK loco citato, BACHOV. ad § 6. Inst. de Bonor. poss.

### § 21.

*Ad bonor. possessionem contrà tabulas admittuntur.*

I. *Liberi* præteriti, nepotes, pronepotes, cæterique qui ex his descendunt; uno verbo, omnes liberorum appellatione comprehensi a). Atque vocantur ad bonorum possessionem contrà tabulas eo jure eoque ordine, quo vocantur ad successiōnem ex jure civili. Quamvis autem emancipati jure civili ita è paterna familia exclusi sint, ut propter capitis deminutionem, quam passi fuerunt, sibi hæreditis qualitatem prorsus amiserint b), propriamque familiam habeant c); Prætor tamen æquitate motus, eorum capitis deminutionem rescindit d), omnemque effectum emancipationis, quantum ad successionem, tollens, eis bonorum possessionem contrà tabulas concessit. Et quidem initio tantum emancipatorum gratiâ edictum suum proposuit, quia legibus civilibus suis jam satis cautum erat.

a) l. 220 ff. de V. S.

b) § 6. Inst. quib. mod. patr. pot. Solv.

c) l. 195. § 2. ff. de V. S.

d) l. 6. § 1. ff. de Bon. poss.

### § 22.

*Quis Edictum committere, & cui illud committi dicatur?*

Necessarium autem ducimus, prius illas formulas, quæ JCTis Romanis tam consuetæ & frequentes sunt, explicare: quid scilicet sibi velit dicere, quenquam committere edictum,

& alicui committi edictum. *Edictum committit* is, qui proprio iure, ex persona sua, quoniam quippe ipse præteritus est, petit bonorum possessionem contrâ tabulas. *Edictum* verò *committitur* per alium ei, qui propter alium, vel occasione alterius admittitur ad eam a). Sic per fratrem præteritum fratri scripto committitur edictum, cum ipse quoque scriptus bonorum possessionem contrâ tabulas ex persona præteriti obtineat: Scripto igitur edictum committitur per præteritum.

a) JAC. CUJAC. ad l. 3. § 11. ff. de b. p. c. t.

### § 23.

#### *Edictum committunt a) Emancipati.*

Præteriti emancipati eorumque liberi edictum committunt. In ea autem re id præprimis observandum erit, quod, cum ex masculis descendentes edictum committant, quotcumque gradu sint, dummodo nemo eos antecedat; ex feminis tamen descendentes, cum in ascendentium maternorum potestate neque nascantur, neque per emancipationem inde exire possint a), prætoris edicto, quo liberis bonorum possessionem contra tabulas pollicetur b), nequaquam comprehensi sint, prouti eos quoque jus civile ad hæreditatem ascendentium non vocavit. Filii autem naturales tantum in patris emancipati locum succedunt, sive vivo patre nati, sive posthumi c); non vero adoptivi post emancipationem adoptati, ob rationem, quam Modestinus affert d), quia filius emancipati adoptivus apud avum testatorem nepotis loco nunquam fuit. Præterea nepotes filii emancipati vocantur ad bonorum possessionem contra tabulas, jure repræsentationis in stirpes, non in capita e).



Sic, si cum patruo concurrant duo nepotes, hæreditas in duas partes dividetur, quarum altera patruo, altera duobus nepotibus obveniet.

- a) § 3. Inst. de patria pot.
- b) § 7. Inst. de Exhæred. lib.
- c) I. 2. pr. ff. de Collat.
- d) I. 21. ff. de Bonor. poss. contra tab.
- e) Illustr. Præses in Diff. Histor. juris Repræsentationis ex jure Romano. L. 41. § 1. d. b. p. c. tab.

### § 24.

#### *Continuatio.*

Neque id silentio prætereundum est, quod filius in potestate adhuc constitutus, nepotem ex se ortum ab hæreditate excludat. Ea autem ratione ius prætorium juris civilis rigorem mitigavit, ut, quamvis patri emancipato nepos in potestate retentus, patris quippe emancipatione suus hæres effetus, obstet; nepos tamen patri suo conjungatur, sive hic præteritus, sive institutus sit. Ea sola differentia est inter eum, qui in adoptionem datur, & emancipatum; quod in adoptionem quidem dato non alias jungitur, nisi ipse institutus effet, atque per alium ei edictum committeretur: emancipato autem semper, sive is institutus, sive præteritus effet a).

- a) I. 1. § 1. ff. de conjung. cum em. lib.

### § 25.

#### *β) Sui.*

Sui etiam præteriti edictum committunt ipsi. Quum enim favore emancipatorum, spectata origine, bonorum possessio contra tabulas à Prætore introducta fuerit, æquum tamen visum

est, nec suis liberis eam denegare, si prætorio remedio utilitatibus suis magis propicere possunt, quam remedii jure civili comparatis. Quæ tamen bonorum possessio à suis non necessario accipienda est, quum illam, si id ipsis consultum videatur, in suos usus convertere possint. Non igitur suis necessaria, sed utilis tantum est, ut infra dixiciemus.

### § 26.

#### γ) Adoptivi.

Neque vero tantum naturales, sed & adoptivi liberi *a)*, in familia adhuc extantes, ad bonorum possessionis auxilium contrà tabulas confugere possunt, cum præteriti ipsi edictum committant. Quod quidem post Justiniani constitutionem ad liberos arrogatos nec non perfectè adoptatos restringendum est, si quidem ab extraneo adoptati nil nisi jus successionis intestatæ intuitu patris adoptivi obtinent. Liberi vero in adoptionem dati, sive pater eos dederit adoptandos, sive ipsi se, posteaquam sui juris essent, in arrogationem dederint, edictum minimè committunt ratione patris naturalis *b)*. In qua quidem re prætor æquitatis rationem manifesto fecutus est. Nam quum contrà tabulas bonorum possessionem edicto suo pollicitus esset, eum in finem, ne injusto parentum judicio liberi exclusi, omni hæreditatis paternæ spe exciderent, ea ratio in hos, qui in adoptionem dati essent, non cadebat. Enimvero, licet ab hæreditate patris naturalis hi remoti essent, tamen ad successionem parentis adoptivi venire poterant: & si ab hoc etiam præteriti fuissent, contra ejus saltē tabulas (ut supra diximus) edictum committebant. Liberi autem adoptivi rursus postea in adoptionem dati, neque ipsi edictum committunt ratione



primi patris adoptivi, neque iis quoque edictum committitur per alios, licet hæredes instituti sint: Cujus rei ratio in eo quærenda videtur, quia non sunt ex liberorum numero, solutâ priori adoptione per posteriorem; ii autem, qui inter liberos non amplius referuntur, neque ipsi edictum committunt, neque iisdem per liberos pristini patris adoptivi, qui autem nunc personam patris, eorum ratione habita, depositi, committitur c).

a) l. 1. pr. ff. de bon. poss. cont. tab.

b) l. 3. § 6. l. 6. § 4. de bon. p. cont. tab.

c) JAC. CUJAC. ad l. 8. § 11. ff. de b. p. c. t.

§ 27.

#### *Edictum non committunt A) Exhæredati.*

Cum igitur præteriti tantum edictum committant, liberis exhæredatis auxilium bonorum possessionis contra tabulas nequaquam patet, qui potius ad querelam inofficiosi, quod remedium disputatione fori introductum, ideoque civile est, confugere debent a). Si, verbi gratia, ex duabus filiis alter exhæredatus, alter præteritus sit, exhæredato non committetur edictum, cum ipse edictum non committat, sed exhæredatus confugiet ad querelam inofficiosi testamenti b), quamvis præteritus bonorum possessionem contra tabulas petierit. Non autem quævis exhæredatio summovet filium à bonorum possessione contrâ tabulas, sed quæ rite facta est c). Indè qui sub conditione exhæredatus est [pure enim filium exhæredari Julianus putat d)], bonorum possessionem contra tabulas petere potest. Item aliqua parte testamenti exhæredem filium scriptum esse nequaquam sufficit, sed ab omni gradu exhæredatus sit oportet e).



- a) I. 10. § 5. ff. de bon. poss. cont. tab.  
 b) Querela inofficioſi à bonorum poſſeſſione diſſert, quod illa non detur, niſi addita hæreditate, nam eſt contra hæredem I. 8. § 10. ff. de inoff. teſtam. Hæc verd̄ datur liſet nemo adierit, nam datur contrā iſum teſtameſtum I. 4. pr. ff. h. t. Querela pa- tremfamilias iſteſtatum facit, vel in totum, I. 10. ff. de inoff. teſt. vel pro parte, fi ſit aetum pro parte. L. 24. ff. de inoff. teſtam. JAC. CUIJAC. ad I. 8. § 14. ff. h. t. neutiquam vero b. p. c. t.  
 c) I. 8. § 2. ff. h. t.  
 d) I. 3. § 1. ff. de Liber. & poſth. hær.  
 e) I. 8. § 1. ff. h. t.

### § 28.

*E) Filius, qui agnouit iudicium patris.*

Neque porro edictum committit filius praeteritus, qui agnouit iudicium patris, accepto legato a). Quamvis enim teſtameſtum ipſo jure non valeat, placuit tamen ex æquo & bono illud ſuſtineri, quia filius praeteritus acquiescit patri.

- a) I. 3. § ult. ff. h. t.

### § 29.

*C) Alii praeterea.*

Filius praeteritus, cujus ſervus hæres ſcriptus iuſtu ipſius adiit hæreditatem a). Denique edictum haud committunt liberi, qui tempore mortis teſtatoris in eā ſunt conditione, ut iuſtui hæredes non poſſent b): Atque hæc eſt ratio, cur liberi maximam & medianam capitis deminutionem paſſis prætor bonorum poſſeſſionem contrā tabulas non dederat c).

- a) JAC. CUIJAC. ad I. 1. § 15. de bon. p. c. tab.  
 b) I. 3. § 10. I. 11. pr. ff. de Bon. poſſ. cont. tab.  
 c) I. 13. ff. de Bon. poſſeſſionib. ANT. FABER Conj. lib. I. 7. c. 20.

C.



## § 30.

*Editum committitur a. Emancipatis.*

Emancipatis scriptis, per præteritos; ita ut, semoto testamento, frater institutus vocetur in partem; puta in semifsem, si duo fratres sint, quorum alter institutus, alter præteritus esset, etiam si in minore parte scriptus sit, & adierit institutus. Ita sæpius evenire poterit, ut scriptus hæres, commissio edicto per alium, aliquando plus obtineat per bonorum possessionem contra tabulas, quam ex institutione a). Puta; duo sunt fratres, unus institutus ex uncia, alter præteritus, per quem committitur editum fratri instituto. Si institutus admittat possessionem contrà tabulas, semifsem habet, licet ex institutione unicam tantum unciam obtineat. Neque hic intererit, utrum institutus sit suis, vel emancipatus, vel in adoptionem datus, quorum portio pari ratione hoc remedio augetur. Aliquando & minuitur portio hæredis scripti, admissa, bonorum possessione contrà tabulas; si enim frater institutus est ex dodrante, alter præteritus est: frater institutus, si admittat bonorum possessionem contrà tabulas, is tantum semifsem, demitis illi tribus unciis, habebit.

a) 1. 8. § 14. ff. de bon. p. contr. tab.

## § 31.

*B. Suis. i) per præteritos.*

Suis etiam scriptis editum committitur, sicut emancipatis, per præteritos. Quamvis hæc bonorum possesio suis necessaria non videatur, quum testamentum, in quo suis præteritus est, ipso jure sit nullum a), & filius suis ab intestato hæreditatem obtainere possit, eam tamen & scriptus hæres optimo jure

❧

in suos usus convertet. Scriptus etenim hæres potest ad bonorum possessionem secund. tab. adspirare, filio licet præterito, cuius causa jure civili hæreditas scripto hæredi haud desertur b). Quippe prætor dat cuiilibet hæredi scripto bonorum possessionem secundum tabulas, si tabulæ extent, etiam si nullum sit testamentum. Huic occurritur, data bonorum possessione contra tabulas suis præteritis; qua autem efficitur, ut, data bonorum possessio secundam tabulas, sine re & effectu constituatur, eademque inanis evadat. Immo, etiam si nondum sit petita bonorum possessio secundum tabulas, agnita tamen possessio contra tabulas eum insignem producit effectum, ne possit illa quidem peti. Ultima autem ex agnita bonorum possessione contra tabulas in eum, qui remedio prætoris perfrui cupit, redundans utilitas in eo conspicitur, quod, cum alias remedium Legis ult. C. de Edicto D. Adr. tollendo ei accommodetur, qui in testamento nullo vitio visibili laborante hæres scriptus est, immissioni in res hæreditarias per hoc remedium obtinendæ præprimis obstat bonorum possessio contra tabulas à Prætore obtenta. Ita, cum per præteritum edictum fuerit commissum, licet hic bonorum possessionem contra tabulas non petierit, fratres ejus instituti beneficio præteriti eam petere possunt c).

a) § 1. Inst. de exhær. lib. b) 1. ult. Cod. de lib. præter.

c) 1. 10. § ult. ff. h. t. BERLICH, P. III. Conclus. 16, n. 37. CARP. zov. P. III, c. 10. Def. 3.

### § 32.

#### 2) Per Posthumos.

Per posthumos quoque, scriptis hæredibus tum emancipatis, tum suis & adoptivis, edictum committitur. Nam si

C 2



posthumus, qui in utero est, præteritus fuerit, instituti non expectant, donec hic nascatur, sed etiam, eo nondum nato, rectè petunt bonorum possessionem contra tabulas a). Ut hæres melius intelligatur, specie quadam facti proposita, rationes juris in ea re intercedentes antè oculos ponamus. Filius suus institutus decepit, antèquam nascatur posthumus præteritus. Non immeritò autem hac occasione quæstio moveri poterit, utrum idem filius institutus, qui antèquam expectatus posthumus in orbem prodidit, diem supremum obiit, defuncto patri hæres ita quidem extiterit, ut hæreditas patris propterea transmissa existimanda sit? Nos autem ad eventum futurum respiciendum esse putamus; an posthumus scilicet nascatur, aut non nascatur? Quod si non nascatur posthumus, tunc filius suus videtur ex testamento ipso jure hæres fuisse, & sic hæreditatem transmittit ad hæredes quosunque, nam sui transmittunt, etiamsi non adeant. Si vero postea nascatur posthumus, suus non videtur hæres fuisse, cum testamenti agnitione posthumus rumpatur. Eo minus autem ex causa successionis intestatæ hæreditatis compos fieri potuerat, quoniam eo tempore, quo certum esse cœpit, testatorem nullo efficaci firmoque testamento reliquo mortuum fuisse, non amplius inter viros erat. Ut igitur scripto hæredi subveniret prætor, dedit ei bonorum possessionem; neque tamen aliter nisi præecedente causæ cognitione pro tribunali, ex decreto, quia quamdiu posthumus speratur, hæres nondum existit b).

a) SAM. STRYK de success, ab Int. Diff. IX. Cap. V. § 13.

b) Ita posthumus dicitur partem facere, ut & filius captivus, quia reverti potest. *Facere partem* is dicitur, cuius persona

numeratur in partibus faciendis. Pūta : Tres sunt liberi : unus est posthumus, i. e. adhuc in utero, vel captivus: duo reliqui liberi erunt bonorum possessores pro belle, triens reservatur posthumo, qui nasci potest, vel captivo, qui redire potest. L. 8, § 11. ff. de bon. p. c. t. ibique Cujac. ad L. I. ff. h. t.

### § 33.

*Quibusnam edictum non committitur.*

Certum est, eis liberis, qui eo tempore, quo testator moritur, in ea sunt conditione, ut institui hæredes jure non possint, neque edictum committi, cum & ipsi edictum non committant. Sic criminis capitalis damnatos, servos factos, exules & deportatos, cum nec jure hæredes scribantur a), nec legitimam parentum hæreditatem consequi possint b), à bonorum possessione contrà tabulas prætor nominatim excludit c).

a) l. 1. Cod. de hær. inst.

b) l. 1. § 4. ff. de suis & leg.

c) l. 13. ff. de Bonor. poss.

### § 34.

*Continuatio.*

Liberis autem in adoptionem datis, cum præteriti sint, non desertur honor. possessio contrà tabulas, vi cuius ad bona patris naturalis admitterentur, quoniam non amplius ex numero liberorum sunt. Quodsi iidem autem à patre naturali instituti essent, per præteritos iis edictum committitur; quod tamen illis haud committitur, si non ipsi, sed servi eorum liberique, quos in potestate habent, postquam sui juris facti sunt, hæredes instituti essent; his enim propterea per præte-

C 3



ritos edictum committi nequit, quia prorsus extraneorum loco ratione testatoris censendi sunt a).

a) I. 8. § 11. ff. de b. poss. cont. tab.

### § 35.

*Ad bonorum possessionem contr. tab. vocantur.*

II. *Patronus* etiam ad bonorum contrà tabulas liberti possessionem vocatur. Quum olim ex lege 12. tabb. liberto patronum suum impunè præterire liceret a), & patronus ad hæreditatem liberti vocaretur tantùm hac clausula, *hærede suo nullo reliquo*; prætor testandi licentiam in liberto coercuit. Nam editio statuit, ut ille improlis patrono non minus parte dimidia bonorum relinqueret, data patrono bonorum possessione contrà tabulas testamenti, in quo hic aut præteritus, aut minus parte dimidia hæres institutus fuerat b). Excludabant autem patronum liberi naturales, emancipati & in adoptionem dati, si modò ex aliqua parte hæredes instituti fuerant, aut præteriti contrà tabulas bonor. possessionem ex edito petierant, ab exhæredatis autem patronus nequaquam repellebatur. Sin intestatus is decederet, liberi quidem naturales patronum excludebant, sed patri dabatur contrà adoptivum suum dimidiæ partis bonorum possesso.

a) pr. Inst. de success. libert.

b) § 1. Inst. ibid. & Vinn. ad hanc §.

### § 36.

*Continuatio.*

Lautiorem fortem in patronos postea contulit Lex Papia, teste Imperatore a). Denique Justinianus, nova constitutione,



seculi sui rationibus apprimè convenienti, in eum modum jus prætorium atque civile, Lege Papia introductum, temperans, definit, ut, si testator minor centenario decederet, patronus nullum ad ejus successionem jus haberet. Si verò major centenario esset, sive testatus, sive intestatus, & quidem *liberis relictis* cuiusvis sexus, gradus & conditionis, patronus excluderetur; sin autem *sine liberis* decesserit, ab intestato patronus & hæreditatem obtineret; & si præteritus in testamento patronus fuisset, hic per bonorum possessionem contrà tabulas tertiam partem bonorum consequeretur b): & quidem *sine onere penitus legatorum & fideicommissorum*; *quod onus ad hæredes redundabit*, uti expressum est in Constitutione Justiniiani græca, à Cujacio è Basilicis restituta c). Quod si autem testamentum nuncupatione conditum fuerit, tunc petitur bonorum possessio contra nuncupationem intrà centum dies d).

a) § 2. Inst. de success. libert.

b) § 3. In instit. ibid.

c) Cujacius Obs. XX. 31. Historiam successionis Patrono delatae in compendio dedit BYNCKERSHOECK in Obs. Jur. Rom. C. 8. 17.

d) I. i. Cod. de bon. poss. e. tab. liberti. STRYK in usu moderno § 1. h. t.

### § 37.

*Admittuntur ad bon. poss. contr. tab.*

III. Denique Pater fiduciarius, præteritus, vocabatur ad bonor. poss. contrà tabulas a). Quum etenim pater, avusve, qui filium vel nepotem remancipatum; postea manumiserat, patroni, filiusque, hoc modo contracta fiducia, emancipatus liberti instar esset, patri quoque ad exemplum patroni bonorum



possessio contrâ tabulas dabatur, qua autem legitimam tantum, non solidum filii patrimonium conseqüebatur b), nisi instituta turpi persona c).

a) l. i. § 6. ff. si a parent. quis manum. ANT. CONTIUS de Hæred.

& honor. poss. quæ ab int. defer. pag. 318. Pacis. 1616.

b) l. 3. l. 4. ff. de legit. tutorib.

c) l. 3. ff. si quis à parent. man.

Quum autem hodie hæc fiducaria manumissio extrâ usum sit, nova potius intestatæ successionis ratione à Justiniano, Nov. 118, introducta, & hoc beneficium omnino exolevit.

### § 38.

#### *Transitio.*

Hactenus de personis, quæ beneficio bonorum possessionis contrâ tabulas uti possunt; nunc supereft, ut de effectibus agnitiæ bonorum possessionis differamus. Neque longa hîc expositione lectores nostros detinebimus, sed in compendio quasi eam rem pertractabimus, ne libellus in nimiam molem excrescat. Præcipue autem commoda atque incommoda, quæ ex agnita bonorum possessione redundant in bonorum possessorem, in medium proferemus.

### § 39.

#### *Effectus.*

Et quidem primò, observandum est, quod Prætor eos, quos bonorum possessores facit, hæredum loco constituit; qui, nomine saltim, à veris hæredibus discrepant, ex quo facile est ad intelligendum, agnita & data bonorum possessione c. tabb., ita defuncti patrimonium ad bonorum possessorem transferri, ac si planè intestatus parens decessisset a).

a) l. 17. Cod. de collat. l. 10. §§ 5. 1. 20. ff. de bon. poss. c. tab.

§ 40.

§ 40.  
*Continuatio.*

Quoniam autem Prætor testamentum ipsum non rescindit, sed illud potius salvum relinquit, dando contrā illud bon. poss. cont. tabb., defunctus quoque intestatus dici nequit, etiamsi aduersus illius testamentum bonorum possessio obtenta fuerit: neque hæres in illo testamento scriptus impeditur, quo minus hæreditatem adeat; quæ tamen aditio, ut facile intelligitur, plurumque sine re & effectu est a). Eam autem veritatem, quæ plurimos Pragmaticorum latuit, nemo melius in lucem produxit, quam Averanius JCtus Pisanus b), qui varias consequentias, legibus confirmatas ex illa derivavit. Atque ex eo fonte id quoque propullare mihi videtur, quod obtenta licet bon. poss. contr. tabb., legata tamen testamento relicta non semper concidant, sed quandoque præstanta sint c): quæ tamen semper corruere deberent, si testamentum ipsum per bon. poss. contr. tabb. rescinderetur. Sed quoniam in ea re insignis nostri remedii effectus appareat, ad speciem nunc eundum est.

a) Inter Interpretes non minus ac Pragmaticos multas disputationes suscitavit quæstio, "an testamentum, in quo filius suus præteritus est, jure prætorio ita quidem nullum habeatur, ut illud convellatur atque rescindatur integrum, an potius illud, integrum cæteroquin & salvum, à Prætore seponatur tantum ea mente, ut is patrimonii defuncti compos reddatur, quem editio suo sive decreto ad b. p. c. t. admisit, ita, ut hæres in testamento scriptus sine re & effectu hæres sit?" Priori sententiae addicti sunt. ULR. HUBER in Prælect. ad tit. I. de Exhæred. lib. § 2. BACHOV. ad Treutler. Diff. XI. th. I. l. c. CÄRPZOV. Jurisprud. forens. P. III. C. X. D. I. n. 7 seqq. Posteriorem

D

verò



verð defendunt ANTON. FABER, de Error. Pragm. Dec. 37.  
Err. 6. SAM, STRYK de Successi. ab int. Cap. 5. § 4.

b) In Interpr. Jur. I. 7.

c) l. 15. § 1. ff. de legat. præstand.

### § 41.

#### Continuatio.

Personæ autem, quibus ex ejusmodi testamento, contra quod bon. poss. obtenta fuit, legata prætor conservat, sunt parentes & liberi cujuscumque gradus & sexus, naturales & adoptivi, nati & postthumi, modo liberorum numero fuerint, quum dies legatorum cederet a): & quidem sequenti distin-  
tione adhibitā.

a) l. 24. ff. de legat. præst.

### § 42.

#### Continuatio.

a) Si emancipatus præteritus bonorum poss. cont. tab. perierit, is tenetur legata & fideicomissa liberis & parentibus defuncti præstare; imò & uxori nuruique, si quid his dotis nomine, quam verè habuerunt, relictum fuerit a). Is autem debet præstare legata pro ea parte, quā hæreditatem acquisivit b).


a) l. 1. pr. § 1. seqq. l. 3. § 1. l. 8. § 6. l. 5. § 2. l. 15. § 3. ff.  
de legatis præstand.

b) l. 15. § 1. 2. citat.

### § 43.

#### Continuatio.

b) Si suus præteritus, qui etiam non petita bonor. poss. patris hæreditatem ab intestato obtainere poterat a), bonorum poss. cont. tab. acceperit: cum cæteris capitibus legata qui-



buscumque relicta corrunt b); & si suus unà cum emancipato bon. poss. contr. tabb. acceperit, solus emancipatus legata præstabit c), non solida, sed diminuta in dimidium, quod relinquitur manenti in potestate. Erit ergo melior hoc casu conditio in familia relicti filii, quam foret, si emancipatus non esset.

a) l. 3. Cod. de jure deliber.

b) l. 15. pr. l. 16. ff. de leg. præst.

c) l. 20. § 2. de bon. poss. cont. tab.

### § 44.

#### Continuatio.

c) Si *institutus* illam petierit, commisso edicto per alium, qui bon. poss. omiserat: quum occasio præteriti, jure suo non utentis, institutum lucro afficere non debeat, hic omnibus sive exceptis, sive extraneis, legata præstare cogitur, quemadmodum ac si commissum edictum nunquam fuisset. Ita hæres, qui adiit, convenietur tanquam ex contractu. *Substitutio porr̄a pupillaris*, possessione contrà tabulas obtenta, non corruit, sed eam prætor cum legatis à substituto relictis speciatim sustinet a): quamvis alias infirmato patris testamento etiam substitutio pupillaris evanescat b).

a) l. 34. §. ult. de vulg. & pup. subst. l. 103. §. 2. & 3. ff. de legatis III. l. 5. pr. §. 1. ff. de legat. præst.

b) §. 5. Inst. de pup. subst. l. 2. ff. eod.

### § 45.

#### Continuatio.

*Jus accrescendi* in honor. possess., sicut in hæreditate civili, locum obtinet a). Hinc si alter agnoscat, reliqui verò

D 2



ejusdem gradus bonor. possell. expressè vel tacitè repudient, illorum portiones huic accrescunt b). Excipitur tamen Patronus c), qui commodis juris accrescendi non fruitur, si à liberto fuerit præteritus, & bon. poss. cont. tab. agnoverit, quæ ei pro tertia tantum parte bonorum ex Justiniani constitutione d) datur: quodsi tamen scriptus hæres secund. tab. hæreditatem non petierit, altera pars patrono non accrescit, sed nunc pro reliqua hæreditatis parte, repetita vice, ex edito unde legitimi bonorum possessionem agnoscere debet. Alius præterea agnitæ bonorum possessionis effectus in eo cernitur, quod non tantum coeptam quocumque titulo à testatore usucaptionem bonorum possessor, tanquam successor universalis, continuare atque adimplere possit, sive in bona, sive in mala fide ipse sit, dummodò antecessor initio bona fide rem acquisiverit: sed &c, ut earum quoque rerum, quas nullo titulo possellas testator usucapere non poterat, vel quæ post mortem ejus solummodo in bonis hæreditariis inventæ fuerunt, dominium bonorum possessor, in bona fide constitutus, omnino titulo pro hærede usucapione acquirere possit e).

a) l. 3. §. ult. l. 4. & 5. ff. de Bon. poss. l. 12. pr. ff. de bonor. poss. sec. tab.

b) STRYK Diff. IX. Cap. III. §. 17.

c) l. 6. pr. ff. de bon. poss. d) Vide supra §. 36.

e) l. 3. ff. pro hær. vel pro posselli. l. ult. C. de usucap. pro hæred. l. 11. pr. ff. de Hær. pet.

### § 46.

#### *Continuatio.*

Ipsa autem bon. possell. ratio, quam superiori loco subministravimus, nos edocet, quod omnia commoda & incom-



moda, item dominium earum rerum, quæ in bonis sunt, ad bonorum possessorem transcant; & quidem à tempore mortis testatoris *b*). Unde palam est, actiones & nomina & obligations testatoris in eum transire, ut in civilem hæredem omnia devolvuntur *c*). Sed non directæ actiones bonorum possessoribus dantur; quum, quod anteā monuimus *d*), prætor hæredem facere non possit, sed *utiles* tantum, quæ tamen ejusdem cum directis effectus sunt, eidem accommodantur.

*a*) vide supra §. 5.      *b*) l. 138. pr. 1. 193. ff. de Reg. juris.

*c*) l. 3. pr. §. 1. ff. de B. poss. l. 37. ff. de Acq. vel om. hæred.

*d*) §. 10.

### § 47.

#### *Remedia Juris.*

Quum bonorum possessor, nominis tantum sono ab hærede differat, atque ad eum omnia commoda & incommoda, in quæ ipse hæres succedit, transcant. & generatim bonorum possessor hæres prætorius, prætorio scilicet jure, licet non jure civili sit, facile quoque ex eo colligitur, quod eadem juris fictione retrotractiva, qua commodis veri hæredis consultur, tempus quoque agnitæ bonorum possessionis cum tempore mortis conjungatur; eodemque igitur jure, quo hæres ipse, statim defuncto per bonorum possessionem successisse intelligatur: isque etiam, quod vero hæredi licet, si non possideat, atque res hæreditariæ vacuae sint, eas propria auctoritate occupare queat. Atque propterea, si alius in possessione rerum hæreditiarum constitutus est, adversus hunc interdicto *Quorum bonorum*, à Prætore nominatim concessio, experiri potest *a*). Quod autem interdictum non solum bono-



rum possessor, sed adeo hæres in suos usus convertere poterit. Licet enim initio in favorem prætoriorum successorum introductum illud fuerit, prætor tamen suum quoque remedium ipsi hæredi proficuum esse voluit. Datur contrâ eum, qui pro hærede, vel pro possessore possidet b): nec contrâ non possidentem, nisi dolo desierit possidere, ad rerum hæreditarium possessionem consequendam.

- a) STRYK dissert. IX. Cap. III. De effectu succ. Præst. §. 2. seq.  
 b) C. HOFAKER Princ. Jur. civ. T. II. §. 1672.

### § 48.

#### *Continuatio.*

Aliad adhuc a Prætore datur remedium analogum petitio-  
 ni hæreditatis civilis, quod ordinariam actionem continet, & pe-  
 titorii judicij est, nempè *Possessoria hæreditatis petitio*. Sed uti-  
 lius est Interdicto experiri, quam ordinaria actione, quum id  
 brevius citiusque dissolvatur a). Leviores tantum & summariae  
 probationes in hoc sufficiunt b): nisi quod admittantur exce-  
 ptiones, quæ in continenti probari possunt.

- a) HARPPRECHT, ad pr. Inst. de Interd. n. 12.

- b) Dn. STRUV. Exerc. 45. th. 18. Dr. HAHN, ad Wet. tit. Quo-  
 rum bonor, n. 6.

### § 49.

#### *Continuatio.*

Denique Bonorum possessor uti potest remedio *Legis ult.*  
*Cod. de Ed. D. Adrian. toll.* vi cuius hæres testamentum, nullo  
 visibili vitio laborans, proferens, impetrat ut in possessionem re-  
 rum hæreditiarum mittatur. Attamen Interdictum multò  
 generalius est hoc remedio. Hoc enim non datur hæredibus



ab intestato, sed illud interdictum cuiilibet bonorum possessori,  
tam ab intestato, quam ex testamento, competit a).

a) I. r. & seqq. Cod. Quor. bonor.

§ 50.

*Bonor. poss. hodiè quoque in usu.*

Bonorum possessio, quamvis aliter sentiant multi docto-  
res a), hodiènum adhuc in usu est, quatenus singularibus sta-  
tutis ejus forma mutata non fuit. Et si dicendum, quod res  
est, ita quandoque id ipsum Prætorium remedium necessarium  
apparet, ut nulla alia via, nullo prorsus remedio civili, ad de-  
functi cujusdem successionem aspirare possimus, nisi ope bono-  
rum possessionis b). Jus enim Prætorium, licet nunc juris ci-  
vili, sensu latiori sumpti, portionem constitutat, postquam Ju-  
stinianus illud in sinus legislationis suæ repererat, propriam  
tamen qualitatem suam, qua à jure civili strictè sic dicto secerne-  
retur, quod graviter monuit vir æternæ memoriae Jo. SCHILTER c),  
retinuit, atque cum eadem qualitate in foro Germaniæ mi-  
gravit. Quibus igitur adstricctis eo minus ambigendum erit,  
quin in plerisque speciebus obvenientibus, quibus remedium  
bon. poss. salutare, quid quod necessarium apud Romanos pro  
obtinendis successionis jurisque prætorii commodis erat, & ho-  
diè quoque cæteris paribus eadem commoda cum illo conjun-  
cta esse debent.

- a) Inter quos præcipue vid. PAUL VOET. ad tit. I. de Bon. poss.  
ULR. HUBER in prælect. ad tit. ff. de lib. & posth. §. 9. seqq.  
& alii, quos profligavit STRVK De succ. ab Inst. D. IX. C. IV. §. I.  
b) MEIER C. A. Tit. de bon. poss. §. 3. DAN. STRUV. Exerc. 38, th. 43.  
c) In Praxi Jur. Rom. in for. Germ. Exerc. I. cor. 17.





PRÆNOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P.

P R A E S E S.

*Non sine summa voluptate memoria recolam lætiora illa tempora, quibus Te ad amicitiam atque familiaritatem uti mihi licuit. Tanta enim in scientia legitima proficiendi cupiditate flagrabas, ut, intentis in eam omnibus animi viribus, Te ad altiora pedentim progredientes quotidie observaverim. Morum autem suavitate vitæque honestate ita Te omnibus probabas, ut, quibus Te penitus noscere prospera fortuna contigit, ii quoque Te diligenter, atque in amicitiam reciperen. Superatis cum laude examinibus consuetis, auditor sua forque Tibi fui, ut argumentum de bonorum possessione contrà tabulas Dissertatione inaugurali pertractares. Operi statim manus admovisti: &, post decursum aliquot septimanarum, libellum scite exaratum mihi obtulisti, quem nulla parte immutatum Tibi reddidi.*

*Vale, fruere in patria omnibus bonis, quæ virtus Tua paravit Tibi, meque amare perge!*

*Dabam Tubingae D. VI. Martii A. C. MDCCXCVI.*

W18

**ULB Halle**  
005 361 877




3





B.I.G.



DISSESSATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
INDOLE  
BONORUM POSSESSIONIS CONTRA TABB.  
JUXTA DOCTRINAM JURIS ROMANI.

1796, 1.  
QUAM  
CONSENTIENTE ILLUSTRI JCTORUM ORDINE  
PRÆSIDE  
VIRO ILLUSTRI ET CONSULTISSIMO  
DOMINO

CHRISTIANO GMELIN

PHIL. ET U. J. D. AC PROF. PUBL. ORDIN.  
SERENISS. DUCIS CONSIL. NEC NON SER. MARGGRAV.  
BRANDENB. AB AULÆ CONS.

PRO GRADU DOCTORIS RITE OBTINENDO  
EXAMINI PUBLICO SUBJICIT  
AUCTOR

JOHANNES GEORGIUS CUSIN  
HELVETO - ALBONENSIS.

TUBINGÆ  
DIE MART. MDCCCLXXXVI.

TYPIS FUESIANIS.